canones vetusta appellatione. Et fuit ipsorum (quanquam hæc ratio jam ante tempora Lombardi usitata fuit, ubi summa Banduni testatur) mens non mala. Quia enim videbant doctrinam Ecclesiæ degenerasse ab antiqua puritate, & quotidie magis adulterari, voluerunt eam revocare ad illam formam, quæ usitata fuit Patribus. Sed quia hæserunt in rivulis, & non quæsiverunt fontem Civitatis Dei, non ipsum fundamentum ostenderunt, sed lignum, fœnum, stipulas I. Cor. III. v. 12. factum est, ut nec ipsi vel certum modum doctrinæ, vel finem controversiarum invenire potuerint. Quin posteris aperuere fenestram quidvis sine scriptura, tandem etiam contra scripturam affirmandi; quales fuerunt Scholastici & Sententionarii, qui ex receptis & inveteratis erroribus & abusibus suorum, & ex Philosophorum scriptis in Ecclesiam Dei cœnum & lutum invehebant: & a Damasceni ætate usque ad tempora Lutheri nihil in Ecclesia Dei, nisi corpus doctrinæ erroribus fœtidis pleniſſimum visum fuit. Nos, postquam lacte catechetico, hoc est, doctrina sana rationali fruitur nostra γνησίως Lutherana Ecclesia, permanebimus in simplicitate piscatoria, licet moliatur Satanas eam pervertere, & lacti nostro rationali, δολερόν τι καὶ ἄλογον immiscere. Assentiamur animo salutis vere cupido simplicitati huic piscatoriæ: nunquam non recedemus ab iis, quæ a puero didicimus: neque commoveri nos patiamur a turbidis hujus mundi procellis; verum forti & sollicito animo simus, quî portum tranquillitatis æternæ assequamur. Cum vero hunc non alio modo attingere liceat, quam si velificemur honori Jesu Christi Servatoris nostri, ἄλογον omnino fuerit, alio confugere, aliorum doctrinas ac verba anhelare, Christi doctrina retenta, utpote qui est vita & veritas. Ita nimirum eo omnes perveniemus, quo spectare debemus, ad vitam scilicet, quæ nullum habebit finem, licet hic sit dis-

Conclusio.

sertationis nostræ Catecheticæ

FINIS.

Coll. diss. A. 222, misc. 20